

tacitus mecum quid sibi vellet silentium tuum, veritusque ne tibi
 nuge mee fastidium inculcarent, preterii, fateor, non oblitus tui,
 10 aut alias negligens, sed aliquanto remissior, ut fit quando nil pro-
 dest sedulitas in agendis. Accessit quod hoc temporis tractu, in
 quo nisi fallor sextus iam annus evolvitur, pluribus occupationibus
 involutus ad curas diversas transabii, interdum offitiis publicis,
 quandoque privatis negotiis impeditus, ac per hoc ad queque iocunda
 minus ac minus ydoneus. Postremo abfuit sepius oportunitas nun-
 tiorum, que nonnunquam inertes etiam et sopitos ad aliquales
 operas excitavit. Quicquid autem fuerit ignavie vel erroris, quo-
 minus honestum ac pium propositum executus sim, hoc profecto
 non defuit quin tecum mente et animo semper, semper intrinseca
 20 acie, omnique dilectionis studio sim versatus, quippe qui ab ipso
 principio hoc statui, ut pars anime mee inter alios esses tu.

Cur autem nunc ad omissa offitia redeam forte queres. At-
 tratus, fateor, et exspectatus instantia germani tui, nunc vices ge-
 rentis Presulis Tervisini, qui tandem excussit omnem cunctationem
 omnemque torporem, ad hanc litteram animum et calamum pariter
 appuli, illius voluntati et caritati tue utcunque conplaciturus. Et
 quoniam de ipso fratre tuo sermo incidit, accipe quid de illo sen-
 serim olim, quid nunc sentiam, fato sic in melius quandoque ver-
 sante conditiones humanas. Hic et enim quondam puer discolus et
 30 mea tunc opinione, ut tibi totum explicem, ad studia et littera-
 turam inutilis, ad quantum gradum sciencie, morum et honestatis
 pervenerit, quantumque gravitatis in se preferat, incredibile prorsus
 fieret, si quis inscio michi aut inexperto ediceret. Summa est, ne
 contra morem meum adulator tibi videar importunus, quod ipse
 virtutibus suis factus est michi ultra antiquam amicitiam amicis-
 simus, interque bonos ac scientificos iuditio meo, iuditio etiam
 omnium qui eius notitiam habent, et potest et debet non immerito
 numerari; et si vita comes sibi affuerit, non dubito ad magnum
 ipsum probitatis fastigium evasurum. Ille, inquam, instantia sua

⁸ tibi] *om. Vat.* ¹⁰ *Vi. M. L.* aliquando. ¹² iam] *Vi. om.* ¹⁴ *M.*
L. hec. *M. L.* quecunque. ¹⁵ *M. L.* obfuit. ¹⁶ *Vi.* sopitas. ¹⁸ *Vi. M.*
L. sum. ¹⁹ ..., semper] *om. Vi. M. L.* *M. L.* intrinsecus. ²² *Vi. M.*
L. querereres. ²⁵ *Vi. M. L.* litterulam. ²⁷ *M. L.* quum. ²⁹ quondam]
M. quia L. cum. ³² *Vi. M. L.* perferat. ³⁶ *Vi.* intraque.